



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.49. Ordo Servorum Mariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](#)

alioqui severe hanc urgebimus. Adde- Sæcul.XIII.
bat se parœciis prompte provisurum, ita, A.C.1274.
ut conferantur viris idoneis, & qui resi-
deant. Aliis quoque malis opportuna se
remedia allaturum spondebat, quod in
concilio fieri non potuisset ob negotiorum
multitudinem. Dictis deinde precibus
ordinariis Papa præsentibus bene preca-
batur: sic finitum est secundum concilium
Lugdunense.

Tribus post mensibus Papa constitu- conc. p.974.
tionum, quas ibi ediderat, compendium
fecit, quo Christianum orbem in judiciis
& scholis uti jubebat. Datum est 1 Nov.
eodem anno 1274 ac ex punctis triginta
& uno compositum, sexto decretalium
postea insertis. Primum de fide agit, de-
cisionem de processione Spiritus Sancti
contra Græcorum errores continens. Cæ-
tera in sessionibus, in quibus promulgata
fuere, retuli.

§. XLIX.

Ordo Servorum Mariæ.

Decretum contra novos Ordines reli- Chastelain
giosos haud obstabat, quin Lugdu- not.martyr.
nense Concilium ratum haberet Ordinem p. 28.

Servorum SS. Virginis, Florentiae trigin- Ferrarius
ta quinque abhinc annis institutum. Pri- Catal.
mus ejus author fuerat Bonfilius Monal- 8. Sept.
dus, qui cum sex aliis mercatoribus ne-
gotia-

Sæcul. XIII. gotiatione posita 8 Septembris an. 1223
A.C. 1274. in suburbium Camartinum se contulit:
 & anno sequente ultimo die Maji in vi-
 gilia Ascensionis hi septem & Sacerdos
 quidam, qui se ultiro adjunxerat, cum Ar-
 dingus Florentinus Episcopus faustis ad
 Deum precationibus eos prosecutus esset,
 Montem Senarium ab urbe bis mille pas-
 sibus distantem petierunt. Anno 1239
 Episcopus illis regulam S. Augustini tra-
 dedit ac vestem nigram loco cinereæ, quam
 hucusque gestaverant. An. 1252 Bon-
 filius simplex Montis Senarii Prior voca-
 ri Praepositus Generalis cœpit: & anno
 sequente Papa Innocentius IV defensorem
 illis dedit Guilielmum Cardinalem Dia-
 num tit. S. Eustachii. Bonfilius sanctita-
 tis fama inclytus i Jan. an. 1262 e vita
 discessit.

Id. 23. Quintus hujus Ordinis Praepositus
Aug. Baillet Generalis fuit Philippus Benitus pariter
cod. Florentinus, qui Parisiis navata medicæ
 arti opera reversus domum, & tanquam
 laicus a Bonfilio in Ordinem receptus, ali-
 quod temporis spatium in solitudine
 Montis Senarii traduxit. Suscepto ex
 obedientia Sacerdotio, in comitiis an.
 1267 Florentiæ habitis obtrusum sibi Prae-
 positi Generalis munus per annos decem
 & octo exercuit. Ordinem per Italiam
 Germaniamque extendit, atque si non
 conditor illius, saltem propagator præci-
 pius

puus habetur. Is est, qui hoc anno 1274 ad Lugdunense Concilium delatus, ibi approbationem sui Ordinis obtinuit, & confirmationem eorum, quæ ipse & antecessores pro illo erigendo fecerant. Obiit die Mercurii 22 Aug. an. 1285, nostra ætate a Papa Clemente X an. 1671 Sanctorum numero adscriptus.

Sæcul. XIII.

A.C. 1274.

§. L.

Decimæ pro Palæstina.

Post finem concilii primas Papa curas ad charissimam sibi Palæstinam convertit: edocitusque Regem Philippum Audacem depositam, cum Tuneto rediret, crucem resumpsisse, Legato in Franciam misso Simoni Briensi Cardinali tit. S. Cæciliæ primo Augusti die scripsit, ut bonam ^{ap. Rayn.} n. 35. Regis voluntatem ac decimas a Concilio in sexennium concessas in bonum terræ ^{n. 37.} sanctæ verteret, ac populos ad bellum sacrum e cathedris efficaciter animandos curaret. Per alias litteras 12 Octobris datas eum sic informat. Da operam, ut cruce signati per sinceram confessionem, & Sacramentum pœnitentiæ primum conscientias purgent suas, in peccata vetera ne relabantur, caveant, illicitis exactionibus premere subditos omittant, suis in victum vestitumque impensis modum adhibeant, considerentque, ad sum-